

9298



Rep. XXXVI.

3. no. 90.

ΕΥΝΤΩΙΘΕΩΙΑΥΤΑΥΤΩΙ

32.

Collegij Ethici

M. JOHANNIS HARTRANET

GRYPHORINI SIL.

Disputatio X.

DE AMICITIA

Ex 8. & 9. Ethic. Nicomach:

Respondente

MICHAELE SCHMIDT,

LEORINO SILESIO

In almâ Universitate LIPSIENSIS,

proposita

3. Idus Aprilis

Anni vulgaris Epochæ Christianæ

CL. I. C. XVII.



Ex Officina Typographica Heredum Valen-
tini am Ende.

VIRIS
Prestantissimis, Integerrimis &
Honoratissimis

Dn. STEPHANO MAVL

Severissimo ac Celsissimo Electori Saxoniae
ab officio.

Dn. GEORGIO FUCHS
Dn. MARTINO GEYER

Civibus ac Mercatoribus Lipsiensibus
primariis,

Respondens.

Εὐν τῷ Θεῷ ἀγαθῶς,

I.

Nsignis est commendatio Amicitiae in Cic. Laelio, quam vestibulo nostrarum thesaurum praescribere licet: Caeterae res, quae expetuntur, oportuna sunt singula rebus seu singulis: Amicitia res plurimas continet, quoquo te verteris, praesto est; nullo loco excluditur: nunquam intempestiva, nunquam molesta est. Itaque non aqua, non igni pluribus locis utimur, quam amicitiam. Nam & secundas res splendidiores facit, & adversas partiens communicansque leviores; quod bonam spem praebet in posterum, nec debilitari animos aut cadere patitur. Verum enim amicum qui intuetur, exemplar intuetur sui. Quocirca & absentes adsunt, & egentes abundant, imbecilles valent, & quod difficilius dictu est, mortui vivunt,

2. Nos Amicitiae naturam explicaturi, manebimus intra metas Aristotelicas, & quae ad disputandum videbuntur aptiora, ex Eth. Nicom. l. 8. & 9. adducemus.

3. Aristoteles vocat Φιλίαν, quod Latini Amicitiam dicunt ab amore; qui nihil est aliud quam velle bonis aliquem affici, etiamsi ad se nihil ex hoc redeat. Occurrunt autem apud autores vocab. Amicitiae aliquot κατὰ γένεσιν metaphoricae. Latè enim admodum accepta voce significat omnem conversationem hominum, ut erga quos ad justè agendum obligati sumus, iis amici esse dicamur; in quam latitudinem extenditur 8. Nicom. 9. ubi dicitur, ἐν ἀπάσῃ κοινωνίᾳ δικαιοσύνη εἶναι καὶ Φιλίαν δοκεῖν. Latius extenditur si sumatur pro affectu amabili inter beluas, ut innuitur 8. Nicom. 1. ubi ἔστι μόνον ἐν ἀνθρώποις ἀλλὰ καὶ ἐν ὀρνέοις καὶ ἐν τοῖς πλείστοις τῶν ζώων: non solum in hominibus sed etiam in avibus & plurimis animalibus esse dicitur; & huc etiam pertinet quando pro affectu inter hominem & beluam sumitur amabili. Latissimè reperias sumtum vocab. pro συμπαιθεῖα quadam, quae intercedit multis rebus creatis inter se, qualis dicitur inter Rutam & Ficum, Lacertam & Hominem. Strictior est & probatissima acceptio, in qua definitur ex 8. Nicom. 2. ita:

4. Φιλία ἔστι ἑνὴ νοεῖα ἐν ἀντιπεπονητοῖσι μὴ λαιθάνουσα, Amicitia est benevolentia mutua non latens.

5. Amicitia est genus ἀφ' ἐνὸς πρὸς ἓν, quod uni speciei, vel rectius,

A 2

graj

gradui perfectius tribuitur quam alteri, ut infra videbimus. Hic defini-
tur in genere per $\epsilon\upsilon\upsilon\omicron\iota\alpha\nu$ seu benevolentiam, quam 9. Nicom. 5. similem
dicit amicitiae, nondum tamen amicitiam: siquidem omnis amicitia cum
benevolentia est, non autem omnis Benevolentia cum amicitia: unde Be-
nevolentia est quidem commune quidam omni Amicitiae: quia tamen natu-
ram magis redolet absolutam; Amicitia v. sine duorum consensu concipi
non potest: genus ab Aristotele positum dicerem causale, cum ipse 9. Ni-
com. 2. $\epsilon\upsilon\upsilon\omicron\iota\alpha\nu$ vocet $\alpha\rho\chi\lambda\acute{\iota}\omega\tau\eta\varsigma$ Φιλίας. Bene igitur in def. restringitur
per τὸ ἀντιπεπονθός, quod mutuuum sonat, quando agentia practica se in-
vicem amulantur mutuis beneficiis, ita ut quod alterum exhibet alteri, ab
eodem recipiat: unde amicitia ἰσότης equalitas dicitur 8. Nicom. 5. ut ita
amicitia sit unio seu mutua officiorum & beneficiorum repositio inter duo
agentia practica ob benevolentiam manifestam & non latentem.

6. Objectum Amicitiae internum est τὸ φιλητὸν amabile quiddam
quod in alio deprehendimus agente practico 8. Nicom. 2. δοκεῖ γὰρ ἅπαν
φιλεῖσθαι ἀλλὰ τὸ φιλητὸν τῆτο δὲ εἶναι ἀγαθόν, ἢ ἡδύ, ἢ χεῖσιμον:
Non enim omne amari videtur, sed id tantum, quod amabile est: qualia
sunt, Honestum, Jucundum & Utile: ex qua objecti diversitate triplici in-
fra etiam triplicem Amicitiae gradum deducemus.

7. Differentia autem horum 3. objectorum ex citato c. 2. elici potest
triplex:

1. τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἡδύ φιλητὰ ὡς τέλη; Amabilia honestum &
jucundum habent se ut finis: Utile vero ut medium ad finem.

2. τῆ χεῖσις respectu: Vel enim talia sunt ἀπλῶς simpliciter ac o-
mnibus, vel secundum quid ac autōis μόνον ipsis tantum qui experiunt.

3. τῶ τρόπῳ modo: Aut enim ὀντως revera & natura sunt talia:
aut φαινομένως apparenter tantum, bona jucunda, utilia.

8. Subjectum Amicitiae sunt duo agentia practica: quia inter haec
tantum est ἀντιφιλησις seu εὐνοία ἐν ἀντιπεπονθότητι mutuae amor &
benevolentia. Unde elicitur πόρισμα: Inter hominem & rem inanima-
tam non cadere amicitiam, quod probat Aristot. 8. Nicom. 2. 1. ἔγδ ἐστὶ
ἀντιφιλησις ἔδε βέλησις ἐκείνων ἀγαθῶν. Inter amicos est amor mutu-
us. Inter hominem & rem inanimatam non est amor mutuus aut volun-
tas boni. Ergo nec inter ea erit amicitia. 2. Deinde, δεῖ τῶ φίλῳ βέλεια
ἀγαθὰ, ἐκείνῳ ἐνεκα, Amico debemus bene velle, ipsius gratia. Atqui rei
inanimatae non bene volumus ipsius gratia: sed nostri e. g. γελοῖον τῶ οἴνω
βέλεια ἀγαθὰ, ἀλλὰ εἶπερ, σώζεσθαι βέλεια αὐτὸν, ἵνα αὐτὸς ἔχη.

Vinum:

Vinum qui conservari volunt, idq; curant, non faciunt ideò, ut vino ipsi bene sit: hoc enim sine qui curarent, ut inepti imò stulti irriderentur; sed ut ipsis Servatoribus bonum inde vel utile vel jucundum accedat. Ergo rei inanimata non possumus esse amici.

Hac eadem argumenta applicari quoq; possunt ad negandam amicitiam inter hominem & beluas: quamvis gradus amoris inter ipsos possit concedi intensior.

9. Causas Amicitiae ponimus remotiores, similitudinem Naturae & studiorum: propiores, Benevolentiam & Beneficentiam: proxima, aspectum in conversatione concordia, & amorem.

10. Similitudo ad Amicitiam adeò requiritur, ut ex antiquis quidam amicitiam nihil aliud posuerint, quam ὁμοιότητα similitudinem 8. Nic. 1. unde adhuc in proverbio retinentur, τὸ ὅμοιον τὰ ὁμοίῃ ἐφίεσθαι; κολοιοὶς πρὸς κολοιοὺν Graculus graculo asidet 8. Nic. 1. τὸ ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον simile simili gaudet 9. Nic. 3. Hac autem duplex potissimum Natura scil. & studiorum.

11. Natura quidem in censu causarum Amicitiae remotiorum poni potest ex eo, quòd homo πολιτικὸν ζῶον καὶ συζῆν πεφυκὸς civile animal & à naturâ ad vivendum & conversandum cum alio sit factus 9. Nicom. 9. 1. polit. 2. cuius indicia nisi suppetere alia, sufficeret ad id probandum scilicet vis sermone sensa animi communicandi aliis. Si enim ὁ Θεὸς καὶ ἡ Φύσις ἔδεν μάλιστα τοῖς ἀνθρώποις, Deus & Natura nihil faciunt frustra; quorsum vis communicandi tributa esset homini, nisi ipsum cum aliis, quibus communicaret sensa homini, conversari voluissent. Sed ita generaliter proceditur, ad declarandum quòd Natura sit causa Amicitiae remotior: propius ergò accedentes inde probamus: quòd inter quosdam videamus odium & aversionem, ad quorum tamen amicitiam conciliandam cetera, quae causarum loco posuimus, in promptu videmus omnia. Causam ergò putamus dissimilitudinem illam quae non aliunde nisi ex naturâ & ἰδιοσυγγενείᾳ quaerenda; propter quam factum, ut Pater ille, filium absentem amaret ardentissimè, in se de sumtibus ad studia prospiceret largissimis: quem tamen presentem adeò oderat, ut ad spectu ipsius exanimaretur & in lypothymiam incideret. Erit igitur è contrario causa amicitiae quaedam similitudo temperamenti: cui, ut similiter remotam, putamus non minus addendam rationem astrologicam, quae ex eodem positu Solis, Lunae, & Ascendentis ac partis fortunae, vel luminarium permutatione, aut projectione radiorum ad aspectum, ut vocant, fortunatum ex unius in alterius genitura

tura tabulam, colligit ut similitudinem naturae & morum; ita etiam similitudinis filium Amorem, & per consequens etiam Amicitiam.

12. Similitudo studiorum non minus etiam facit ad amicitiam cum alio obeundam. Videmus enim, quia cupidus est studiorum quisque suorum, artifices cum nemine conversari libentius, quam cum illis, qui suae sunt sortis & artificij: quod, sicuti sortis & studiorum inter ipsos est aequalitas; ita etiam animorum aequalitas facile conciliari possit, quae Unionis & conservationis vinculum est arctissimum. Et haec studiorum similitudo tantum potest, ut animos ad ignotorum etiam benevolentiam flectere possit. quod 9. Nic. 5. non dissitetur Aristoteles.

13. Propinquiores Amicitiae cause sunt Benevolentia & Beneficentia.

14. Benevolentia Ἐνοια, quia alicui optima quaeque volumus 9. Nic. 5. & 7. Eudem. 7. ἀρχὴ τῆς Φιλίας principium amicitiae dicitur; καὶ Φίλος ἄχ οἷον εἶναι μὴ Ἐνεργονιδρῶς, cum amici esse non possint, qui non fuerint benevoli. 9. Nic. 5. ὅτι ἀρχοιδρῶ εἰκεν ὁ Ἐνοῶν μόνον, quia incipienti tantum similis est benevolens 7. Eudem. 7. Latius enim longe extenditur benevolentia, ut th. 5. attestatum: quippe quae

1. γίνεσθαι καὶ πρὸς ἀγνώτας καὶ λαθησῶσα fit etiam erga absentes & latere potest: Amicitia erga praesentes minimeque latet. Ac inde est quod Aristoteles Benevolentiam etiam dicat ἀρχὴν Φιλίας χρονοιδρῶ καὶ εἰς συνήθειαν ἀφικνεσθῆναι γίνεσθαι Φιλίαν, amicitiam odiosam, quae temporis progressu confirmata & consuetudine continuata possit fieri amicitia.

2. οἱ Ἐνοῖ βῆλονσῶ μόνον Ἐγαθα, οἷς εἰσιν Ἐνοῖ: συμπράξασεν ἢ ἔδεν αὐτῶν ὄχληθειεν ὑπὲρ αὐτῶν, Benevoli tantam cupiunt bene iis quibus sunt benevoli, molestam autem ipsorum causam non susciperent 9. Nic. 5. τῶν ἢ Φίλων εἰσιν καὶ πρὸς τῶν ἀβῆλονσῶ Amicorum autem insuper est etiam facere bona iis, quibus bene volunt. 7. Eudem. 7.

15. Beneficentia Ἐεργεσία quae benevolentiam agenti practico alij probat factis ipsis, operam scilicet sive labore in gratiam agentis practici suscepto; & largitione variam, in censum Amicitiam gignentium recipi debuit; quod, secundum illud Poeta, munera placent hominesque Deosque; & liberalis animus non possit non moveri ad redamandum eum à quo beneficium accepit.

16. Eleganter circa hanc quaerit Aristot. 9. Nicom. 7. rationes, quae propter fiat, ut benefactores magis ament eos, quibus benefecerunt, quam hi ipsos? Non pigebit laboris, qui in textu viderit. Inter caeteras rationes ponitur haec, quod artifices magis ament sua opera, quam haec illos; quod

quod declarat exemplo Poëtarum, qui ὑπεραγαπῶσι τὰ οἰκεία ποιήματα ὡς ἑργον ὡς περ τέκνα, præter modum amant sua poëmata, non secus ac liberos. Cum autem non aliter, ac opera respectu artificum, se habeant beneficiis affecti ad benefactores, intensius etiam à benefactoribus amantur. Elegans est & hæc ratio: quod τὰ Ἰπιπόνως γινόµενα, πάντες μᾶλλον ἑργῶσι labore maiore acquisita, magis diligantur; quod illustratur exemplo pecuniarum, quas magis servant attentè, qui acquisiverunt, quam qui acceperunt. Sicut ob eandem causam μητέρες εἰσι Φιλολεκνώτεραι matres magis amant liberos quam patres, Ἰπιπὼν ἔργα γὰρ ἢ γένεσις, καὶ μᾶλλον ἴσασιν, ὅτι αὐτῶν: quia operosior est generatio, & magis norunt ipsos esse suos. Cum ergò difficilius sit beneficium facere quam accipere: illis etiam qui benefaciunt, verisimile est plus amare eos quibus benefaciunt.

17. Proximas Amicitiam procreantes causas non incommode puto posse statui Adspèctum in conversatione concordis frequentem, & Amorem.

18. Adspèctum frequentem addere placet, quod ἐκ τῶ ὄραϊν γίγνηται τὸ ἔραϊν ex adspèctu gignatur amor, & si sine adspèctu Amicitia perfectà esse posset, quid probiberet inter ignotos etiam & absentes amicitiam coli? Hucq; facit autoritas Philosophi, qui 9. Nicom. 5. ἀρχὴ τῶ ἔραϊν vocat τὴν Διὰ τῆς ὀψέως ἡδονὴν principium amoris facit voluptatem in adspèctu crebro positam: ὅτι μὴ θεωροῦντες τῇ ιδέᾳ, ἔθεις ἔραϊν non delectatus ante formâ, nemo amat.

19. Connecimus huic adspèctui conversationem concordem. Et si enim adspèctus alicuius delectet propter gratiam interdum naturalem: in conversatione tamen morum vel dissimilitudo vel pravitas adspèctus desiderium sæpius tollere potest.

Ac de conversatione quidem Arist. agit 8. Nicom. 5. ubi dicit, ἔδειν ἔτως εἶναι Φίλων, ὡς τὸ συζῆν: nihil adeo esse amicorum, quam simul vivere & sæpe conversari, quod, ut est 9. Nicom. 12. ἡ Φιλία συνκυζάνηται ταῖς ὁμιλίαις amicitia crescat in conversationibus; cum in his paulatim nascatur morum & studiorum similitudo amicitiam gignens efficacissimam.

20. Ex conversatione requisitâ est ὁρῆσιμα: Non cito amicitiam posse contrahi, sed longiori consuetudine sensim animos conversantium probandos, ne amicitia pro firmâ habeatur prius. ὡρῆν τὰς λεγοµένους ἄλλας συναναλώσασα, quam modios salis simul consumserint, qui amicitiam contrahunt, ut loquitur antiquo proverbio Philosophus 8. Nicom. 3.

21. Cor

21. Concordia insuper ad Amicitia generationem requiritur: quam Arist. 9. Nic. 6. vocat ὁμόνοιαν, & ab ὁμοδοξία differre ait eo: quod ὁμοδοξία καὶ ἀγνοῶσιν ἀλλήλους ἑσθ' ἀρξέμεν αὐ, Consensus etiam inter eos, qui se invicem non norunt esse potest: at concordia tribuitur conversantibus.

2. ὁμοδοξία est magis rerum Theoricarum, que speculationi subjacent, & non adeo requiritur in Amicitia: quia non eadem sentire bonos de rebus iisdem incolumi licuit semper amicitia: quamvis si & ipsa adsit, longè magis coalescere faciat amicorum animos: at ὁμόνοια concordia magis est consensus in practicis περὶ τὰ πρακτικά, καὶ τῶν περὶ τὰ ἐν μεγέθει, καὶ ἐνδεχόμενα ἀμφοῖν ὑπάρχειν, ἢ πᾶσιν, & his quidem majoribus, que possunt utrisq; vel omnibus evenire. Unde nihil est aliud concordia, quam consensus notorum in rebus gravibus & utilibus, que per nos ad salutem vel publicam vel privatam effici possunt.

22. De tali consensu docet Arist. l. c. quod tantum reperiri possit inter bonos: quia constans talium est voluntas, καὶ ἔμελλ' ἄρρεϊ ὡσπερ εὐριπιδος nec refluit instar Euripi, περὶ τὰ δίκαια καὶ τὰ συμφέροντα circa iusta & utilia. Malorum autem animi quia fluctuant, concordia inter ipsos constare non potest, aut certè ἴπ' μικρὸν ad exiguum tempus.

23. Amorem ad amicitiam contrahendam dicimus requiri maximè: quod eo animi hominum ad officia & beneficia ardentissimè devinciantur. Distinguit autem Philosophus amorem, quem in amicitia requirit à Benevolentia 9. Nicom. 5. quod ἔνοια ἐκ προσπαίης οἷον περὶ τῆς ἀγωνιστικῆς benevolentia de repente oriatur, sicut certatores & pugiles si videamus certantes, uni præ altero meliora volumus: Φίλησις δὲ μὲν συνηθείας, καὶ ἐχθρὰ διὰ τῶσιν καὶ ὄρεξι. amor vero sive amatio gignatur longiori morâ temporis & diuturniori conversatione, ac conjunctam habeat vehementem commotionem & desiderium amato benefaciendi.

24. Amor autem talis nondum est amicitia, sed ab eâ distinguitur 8. Nic. 5. quod

1. Φίλησις ἔοικε πᾶθ' amor similior sit affectui: Φιλία δὲ ἔξ' Amicitia vero habitui similior.

2. Φίλησις ἔχ' ἡττον πρὸς τὰ ἀψυχὰ ἐστιν; Amor seu amatio non minus est ad inanimata: Amicitia autem requirit προαίρεσιν ἀντιφιλήσεως præelectionem redamationis.

3. Φίλοι τὰ ὑγαθὰ βυλευται τοῖς Φιλῶντοῖς ἐκείνων ἕνεκα ἑκ' πᾶθ', ἀλλὰ καθ' ἑξῆς, amici volunt illis quos amant bene, ipsorum causa,

non

non secundum affectum, sed secundum habitum: at qui amant v. g. inanimata non ipsorum, sed sui causa ipsis benevolunt, ut fufius ex 8. Nic. 2. est in th 8. quamvis καὶ Φιλῶντες τοῦ Φίλου, τὸ αὐτοῖς ἀγαθὸν Φιλῶσιν etiam amicum amantes amant quod sibi bonum est, propter αὐτὴν Φίλησιν seu mutuam amorem, quia bonus amicus factus bonum quiddam efficitur illi cui sit amicus: ac inde uterq; amat, quod sibi bonum est. 8. Nic. 8.

25. Hinc igitur elicitur immediate proxima, & ut medici vocant, continens Amicitiae causa, ἀντιΦιλῆσις scil. sive amor mutuus qui consistit ἐν τῷ Φιλῆν καὶ ἀντιΦιλῆσιν in amore, ut vocant, activo & passivo duorum agentium practicozum; ex quo est illa animorum unio & conspiratio ad officia & beneficia invicem exhibenda amica, quae ipsa est Amicitia: & conservatur porro concurrentibus bis, quas haecenus procreantes adduximus, causis; quarum si una labascere incipiat, gradus Amicitiae tam perfectus post hac non erit.

26. Haecenus in genere, pergamus nunc ad distinctiones Amicitiae, quarum praecipua est quae sumitur à diversitate objectorum τῶν Φιλητῶν: τρία γὰρ εἰσὶν εἶδη τῆς Φιλίας ἰσάριθμα τοῖς Φιλητοῖς. Ut enim triplex sunt amabilia, ita etiam triplex est amicitia, honesta sc. jucunda & utilis. 8. Nic. 3. quae subdistinguntur, quod una sit καθ' αὐτὸ per se, scil. honesta: reliquae duae κατὰ συμβεβηκὸς per accidens.

27. Amicitia honesta ἐστὶ Φιλία τέλεια τῶν ἀγαθῶν καὶ κατ' ἀρετῶν ὁμοίων, est amicitia perfecta bonorum & secundum virtutem similium.

28. Haec amicitia dicitur τέλεια perfecta, ratione & objecti & subiecti.

29. Objectum huius amicitiae est ἡ ἀρετὴ Virtus; quae cum sit μόνιμον τι quiddam stabile: amicitia etiam ob eam contracta praeceteris est firmior καὶ μάλιστα Διαιρέσις. 8. Nicom. 3.

30. Subiectum sunt οἱ ἀγαθοὶ ὅμοιοι boni similes. Ut enim sola Virtus bonos efficit: ita propter Virtutem orta mutua quorundam concors & efficax benevolentia, non nisi in bono subsistere potest. Et si autem similitudo in studio Virtutis ad hanc amicitiam contrahendam sufficere possit: gradus tamen perfectionis etiam hic dari est indubitatum. Quò ergo similitudo amicorum in pluribus est perfectior; eò ipsorum animi & amicitiam etiam inter se firmiorem solent coalescere: ut proinde etate, sorte, divitiis & moribus ac virtutum studio simul parium sit minimè omnium solubilis Amicitia. Et haec est illa, quae ab aliis Aequalis vocatur Amicitia.

31. Praestat haec Amicitia ceteris speciebus, non tantum, quod oriatur ex bono perfectissimo, sc. honesto, 2. ac tantum sit inter bonos; sed etiam 3. quod honestatem sic includat, ut jucunditatem & utilitatem veram simul comprehendat. Hinc tanta ejus est ad vitam necessitas, ut αὐτὸ Φίλων ἔδειξαι αὐτὸν ἔλοιστο ζῶν, ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα, sine amicitia nemo eligeret vivere, quamvis bona cetera possideret omnia. Utilitatem igitur ejus quam praestat ex necessitate inevitabili in rebus & adversis & prosperis, divitibus aequè ac pauperibus, juvenibus non secus ac senibus, prolixè nec minus eleganter cognoscere licet ex 8. Nicom. 1. Jucunditatem v. in amicitia hac honestà colligimus tantò intensiorem, quantò acerbior ex absentia est dolor: in secundis enim rebus amicus advocatus congaudet; in calamitatibus suà sponte & invocatus solatium praebet, ut aliis & pluribus docetur 8. Nicom. 3.

32. Mensura amoris, qui inter amicos honestos ad officiorum & beneficiorum mutuam collationem intercedere debet, est Amor sui seu Φιλαντία, de qua egit Arist. 9. Nicom 8. non illa vitiosa & stulta, quae agens practicum ex ommissa ad se applicatione argumentorum communis & praesentiae & afflictionis humanae, non exploratis ingenij viribus & navis conatis sibiipsum nimium blanditur, vel εαυτῷ τὸ πλεῖον ἀπονέμεται ἐν χρήμασι, καὶ ἡμῶν, καὶ ἡδοναῖς ταῖς σωματικαῖς, sibiipsum plus tribuit in opibus, honoribus & voluptatibus corporis: quae cum sit frequentior, fecit ut honestissimum Φιλαντίας nomen malè audire cœperit: sed illa moderata, quae τὸ γνῶθι σαυτὸν observans vires ingenij sui, ubi probaverit eas, si deprebenderit erectas, non ad humilia dejicit, sin dejectas ad sublimia non adjicit, ἀπονέμων εαυτῷ τὰ κάλλιστα καὶ μάλιστα ἀγαθὰ καὶ χαρίζεται εαυτῷ τὰ κυριώτατα, tribuens sibiipsum pulcherrima, & maxima bona, & gratificatur parti sui principi, quae ad virtutum culturam ipsum hortatur, ad suiipsius perfectionem.

33. Haec est illud μέτρον amoris proximi, quod requirit Servator, jubens proximum diligere sicut seipsum: unde etiam 9. Nic. 9. Φίλος αὐτὸς alter ipse: Si ergo amicus colendus est officiis & beneficiis & officiis maximis, ad instar suiipsius: nonne sequitur, seipsum omnium maxime esse colendum. Inde sunt tria illa: ordinata caritas incipit à seipso: τὸ γόνυ κνήμης ἐγγίον Genu sur à propinquius. Arist. Proximus egomet mihi &c. Ut ergo quisq; sibiipsum vult & facit optima, inq; erratis sibi ignoscendum putat maxime: ita amico non secus optima quaeq; vivere & facere debet, ipsiq; errata mitissime exponere: unde vetus illud manavit: Amici vitia non veris non oderis: quod tamen alij melius dici putarent; Amici vitia oderis
ami-

amicum non. Sicut n. in suis erratis virtutis studiosum omnium minimè de-
cet esse indulgentem : ita etiam amici errata non ferenda sunt ita, ut non
modeste de iis admoneatur. Aliàs amicus facilius adulationis crimen incur-
ret, quam expetito nomine amici honestissimo jure insigniatur. Ut v. nemo
seipsum decenter amans coram aliis sua ipsius errata exaggerat : ita ami-
cum errantem coram aliis non objurget, sed ubi solus est cum ipso, modestè
corrigit. Et quid multa? Quòd sibi vult fieri, amico faciat.

34. Ad hanc igitur amicitiam honestam maximè applicanda sunt requi-
sita conservantia, quæ amicitiam gignere suprà diximus, ut sc. benevolen-
tia & beneficentia inter amicos exerceatur, presentes ut plurimum, in
conversazione propter Virtutis amorem concordæ : quæ quò est in pluribus
evidentior, eò amicus magis alter ipse redditur, adeò ut ad amicitiam inti-
mam & solidissimam, concordiam non tantùm in utilibus ad vitam, sed et-
iam consensum in dogmatibus & profanis & sacris potissimùm requirantur :
quod propter sapientiæ & justitiæ studia hæc amicitia vnicè contrahatur.

35. Inde manant $\omega\omicron\rho\iota\sigma\mu\alpha\tau\alpha$. 1. Cum hæc rarò conjuncta repe-
riantur, non mirum est, amicitiam etiam honestam esse rarissimam : $\omicron\lambda\iota\gamma\omicron\iota\ \tau\omicron\iota\upsilon\tau\omicron\iota$;
 $\epsilon\lambda\iota\ \delta\epsilon\ \omega\epsilon\rho\sigma\delta\epsilon\iota\tau\alpha\ \chi\epsilon\rho\upsilon\sigma\ \kappa\alpha\iota\ \sigma\omega\eta\theta\epsilon\iota\alpha\varsigma$: $\kappa\tau\epsilon\ \tau\iota\omega\ \omega\alpha\rho\omicron\iota\mu\iota\alpha\omega$
 $\gamma\delta\ \delta\kappa\ \epsilon\sigma\iota\omega\ \epsilon\iota\delta\eta\sigma\alpha\iota\ \alpha\lambda\lambda\eta\lambda\omicron\varsigma$, $\pi\epsilon\upsilon\iota\ \tau\eta\varsigma\ \lambda\epsilon\gamma\omicron\mu\omicron\upsilon\varsigma\ \alpha\lambda\alpha\varsigma\ \sigma\upsilon\nu\nu\alpha\lambda\omega\sigma\alpha\iota$:
quia pauci reperiuntur boni & virtutis ingenui studiosi, & insuper hæc A-
micitia indiget longo temporis usu, & consuetudine, antequàm se invicem
probè norint, quod, ut exaggerarent prisca, dixerunt, non prius fieri posse,
quàm modios salis consumserint : Hinc, Cicerone teste, ex omnib. seculis vix
3. aut 4. nominari invenias amicorum paria, qualia sunt, Theseus & Phis-
tibus, qui ad stygias se invicem secuti sunt undas : Achilles & Patroclus, quo-
rum ille hujus mortem occiso Hectore est ultus : Orestes & Pylades, quorum
hic illum ob matrem interfectam furore percitum ad Tauricam usq; regio-
nem est comitatus : Damon & Pythias, pro quorum altero, cui dies necis à
Dionysio destinatus erat, cum causa rerum suarum disponendarum aliquot
dies postularet, vadem se alter obtulit, interficiendum nisi absens rediret.
Redeunte deinde altero fide ipsorum adeò delectatus scribitur Tyrannus, ut
se quoq; in ipsorum amicitiam recipi peteret. Addi possunt istis par sacrum,
David & Jonathan; & ex Vigilio Æneas & Achates. 2. Amicitia
talis vix cadit in adolescentes, sed eos tantùm qui confirmati sunt judicij.
3. $\Pi\omicron\lambda\lambda\omicron\iota\varsigma\ \epsilon\iota\nu\alpha\iota\ \Phi\iota\lambda\omicron\iota\ \kappa\tau\epsilon\ \tau\epsilon\lambda\epsilon\alpha\nu\ \Phi\iota\lambda\iota\alpha\nu\ \delta\kappa\ \epsilon\nu\delta\epsilon\chi\epsilon\iota\alpha\iota$ & Nic. 6. Cum
multis amicitiam perfectam colere non contingit. Additur hæc ratio : quod
 $\omega\epsilon\rho\beta\omicron\lambda\eta\ \omega\epsilon\rho\varsigma\ \epsilon\nu\alpha\ \omega\epsilon\ \Phi\upsilon\kappa\epsilon\ \gamma\iota\nu\epsilon\omicron\delta\zeta$; Exsuperantia tendit ad unum. At-
qui amicitia perfecta est quedam exsuperantia : amor enim inter amicos

B 2

inter.

intercedit intensissimus. E. Amicitia ad unum ferè tendit: quod ex illo etiam probabile redditur, quod amor in plura divisus objecta subinde fiat languidior. Satius igitur est secundum consilium Arist. 9. Nicom. 10. μήτε εἶναι ἄφιλον μήτε πολύφιλον καθ' ἑπεξεσολω non esse sine amicis, quod morosum est, & ab humanitate alienum, neq; multos habere amicos secundum excellentiam, ne videamur potius ἄρεσκοι quam φίλοι. Cum enim pluribus, nedum omnibus placere sit difficilimum, ac multi amici non possint non esse fures temporis καὶ ἐμπόδιοι πρὸς τὸ καλῶς ζῆν impedi- mento ad honestè vivendum: satius erit omnibus humanam, paucissimis a- micum esse.

36. Caterum, cum dictum sit amicitiam honestam maximè esse dura- bilem, non immerito quaritur, an etiam solvi possit? Non solvitur, quam- diu causa conservantes non mutantur: harum autem aliquà mutatio effe- ctum etiam variari, vero fit simile. 37. Ac inter presentes quidem solvi- tur difficulter, cum nec locus hic relinquatur querelis aut suspicionibus, ob nimium animorum coalitum; propter quem mutuò certat, alter alterum officiis superare. Solvi tamen interdum potest. 1. mutato amore virtutis ab altero deserta, quæ sola hanc amicitiam firmat. 2. non rarò & dissensio- ne, in articulis potissimum fidei, in quibus ut consensus animos divino qua- si glutine unit: ita videmus dissentientes odio erga se invicem flagrare in- exstinguibili. Unde videmus veteres promississe amicitiam usq; ad aras: ὅτι αἰμφοῖν ὄνησιν φίλον ὅσιον περιμῆαν τὴν ἀληθῆσαν. 1. Nicom. 6. 3. nec minus etiam solvi potest hac amicitia inæqualitate dignitatum inter pa- res obortâ, quæ commodè officia amicitia inter se colere amicos impedit. 9. Nic. 3. Tenendum autem hoc casu consilium Cic. ut amicitia, quæ non pla- cent, potius dissuantur quam discendantur.

38. Inter absentes vero etsι οἱ ἴσοι 8. Διὰ λύσιν τὴν Φιλίαν ἀπλῶς, ἀλλὰ τὴν ἐνέργειαν, 8. Nic. 5. loci non simpliciter solvunt amicitiam, sed tan- tum actum: tamen, si diuturnior absentia, quia ob interceptam conversa- tionem paulatim, quæ præterierunt, elabuntur, facile suspicio & diffiden- tia, & nisi scriptorum officiis crebrò renovetur amicitia, facilius oblivio ac inde amicitia dissolutio potest oriri. ἀπερσηγορία γὰρ πολλὰς Φιλίας διέλυσεν, Silentium multas amicitias dissolvit, ut habet Arist. 8. Nic. 5.

39. Sufficiant hæc de Amicitia honestâ: accedamus ad gradus ami- citia imperfectiores, quos Arist. καὶ συμβεβηκὸς per accidens tantum, & καθ' ὁμοιότητά per similitudinem 8. Nic. 4. nominat: quod non amore vir- tatis, sed aliis objecti amabilis perficiendi causâ contrabantur. Tales ut celerius

celerius contrahuntur, interdum inter pocula, ita etsi inter alios durent aliquantò diutius, ὁδίαλοι εἰσι 8. Nic. 3. facile solvi possunt; ideo quod 1. plerq; contrahantur inter inaequales, 2. facile locum dant suspicionibus & injuriis; unde querelae oriri solent creberrimae, praesertim si alteruter observet se callidè circumventum, diligere non tam seipsum, quam aliud bonum amabile. Durant tamen interdum 1. ὅταν τὸ ἴσον γίγνηται πᾶρ ἀλλήλων quando utring; par est officiorum exhibitio. 2. εἰ ἐκ τῆς σωηθείας τῆς ἡθις ἐξέξωσιν, ὁμοιότητος ὄντες, quando ex conversatione diuturnâ, qui initio propter aliud diligunt, incipiunt se invicem amare, quod moribus sint similes. 8. Nic. 4. Et ad hoc genus optimo jure refertur Amicitia scholastica, quae initio plerumq; propter jucunditatem conversationis contrahitur; sensim autem ubi studiorum similitudine Virtutis amorem ad quam uterq; adsuescit uterq; imbiberit, propter verum bonum se invicem diligere incipiunt; unde demum non potest non fieri amicitia perfectissima.

40. Differunt haec amicitiae imperfectae à perfectâ.

1. Subiecto: quod perfectâ tantum sit ἐν ὁμοίοις ἀγαθοῖς in bonis similibus; imperfectâ a. etiam inter Φάυλος improbos contrahi possint. 8. Nic. 4.
2. Objecto: quod perfectâ est Honestum per se, quod comitari non possunt non utile & jucundum: Imperfectâ contrahuntur ob jucundum vel Utile, Ex quibus & haec differentiae colliguntur πορισματικῶς:

1. Ut virtus est stabilis, ita & perfectâ Amicitia: Imperfectâ autem mutantur facile, ut objectum ipsarum est instabile.
2. Imperfectâ querelae non oriuntur ex nimio amore objecti: in imperfectis facile, quod non tam persona quam objectum diligatur.

41. Est autem imperfectâ amicitia, quae per accidens dicitur Aristoteli, vel jucunda vel Utilis.

42. Amicitia jucunda vocatur, cum propter voluptatem percipiendam duo vel plures conversatione mutuâ delectantur.

43. Haec amicitia μάλλον ἔρικε similior est amicitiae perfectâ, 1. quia praetuli magis ingenuo & libero est homine digna, cum utilia qui sectantur, sint sordidiores & avari. 2. imò jucunditas à viris etiam bonis propter conversationem magis appetitur: unde etiam praetuli magis durat, & minus querelis est obnoxia, praesertim si sit inter aequales.

44. Subiectum hujus Amicitiae sunt potissimum Juvenes 8. Nic. 13. ὅτι καὶ πᾶσι ἔτοιζωσι καὶ μάλιστα διώκωσι τὸ ἡδὺ αὐτοῖς καὶ τὸ παρῶν, quia maxime vivunt secundum affectum, & jucundum, quod ipsis praesens, maxime sequuntur. Minus a. ad hanc colendam apti sunt senes, ὅσῳ

δυσκολώτεροι εἰσι, καὶ ἤττον ταῖς ὁμιλίαις χαίρουσι. quia sunt morosi & difficiliore, minusq; gaudent conversationibus 8 Nic. 6.

45. Amicitia utilis vocatur, quando aliqui conversationem mutuam amant propter commodum vel utilitatem quandam.

46. Hanc indignam ferè judicamus nomine Amicitiae: quod hominum caritas & amicitia debebat esse gratuita: utilis autem quae vocatur, non aliter colitur quam ut prata & arva ac pecudum greges diligimus, quod fructus ex ijs capiamus, sicut Cic. 1. de nat. Deorum loquitur. Maxime igitur instabilis & injurijs ac querelis ἢ μόνῃ ἢ μάλιστα vel sola vel maxime 8. Nic. 13. est obnoxia, quod uterq; pleonexia laborans subinde plus appetat, quam alter prestare vel velit vel possit: cum tamen veri amici εὐδραῖν ἀλλήλοις προθυμῶνται benefacere sibi invicem cupiunt.

47. Subiectum hujus potissimum sunt senes 8. Nic. 3. qui attentiores ad rem sunt omnes quam par est. fatente Mitione Terentiano: sed & omnes τῶν ἐν ἀκμῇ καὶ νέων, ὅσοι τὸ συμφέρον διώκουσιν adolescentes & juvenes, qui utile sequuntur: quales illi qui mercatura & opificiis operam dant. Et huc etiam refertur Φιλία ξενική, amicitia hospitalis, qualem exercent caupones erga eos qui ad ipsos divertunt donec sc. ab illis commoda sentiunt, quae si cessent, nullus ad amissas iverit hospes opes.

48. Hujus amicitiae utilis divisio est 8. Nic. 13. in ἡθικῶν καὶ νομικῶν moralem & legalem: quarum illa retribuit beneficia ex benevolentia & libero arbitrio, non vero coacta pacto: Haec autem ex pacto & expressa conditione remunerationis.

49. Haec omnes ut minus sunt dignae nomine Amicitiae: ita Legalis omnium minimè, unde rectius vocatur Negotiatio.

50. In morali tamen observet ingenuus & honesti studiosus, ne temerè à quovis accipiat beneficium, sed si animadvertat, offerri spe plura recipiendi, vel renuat; ne libertatem vendat, vel ubi acceperit, primo, quo potest, tempore recompenset, ut qui obtulit proposito minus honesto suam amicitiam non desiderari percipiat. Sin sine honesto offerantur beneficia, mensura illorum sumenda non ex commodo accipientis, sed ἐκ προαίρεσως τῶν δόξαντος ex proposito dantis: sic & vidua projiciens in gazophylacium duo minuta, ab ipso Servatore Marci 13. dicitur plus dedisse quam d vites plurimi. In utili autem amicitia mensura recompensationis sumitur à commodo accipientis: Sufficit ergo retribuere ὅσον ἐφέρατο quantum profuit ἢ ἧ, πλέον aut paulo plus, quod magis liberale est, ut pluribus de mensura hac potest videri 8. Nic. 13.

51. Legalis subdividitur in πᾶν πᾶν ἀγοραῖαν ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα, καὶ ἐλῶθροτέραν εἰς χεῖρον in Forensam s. Mercatoriam, quando re-

compensatio fit statim ex manu in manum, qualis est eumentium & vendentium per paratam pecuniam, & Liberaliorem s. latiore, quæ fit cum pacto recompensandi non statim, sed post aliquod tempus, non tamen alicujus amoris causâ, sed indigentia respectu, quod is qui accipit statim solvere non possit: quale pactum tamen raro cum accipientis commodo contrahitur. Sed hæc mercatoria negotiatio indigna est honestissimo Amicitia nomine.

52. Hactenus de primâ Amicitia distinctione: sequitur altera non minus utilis in Φιλίαν ἐν ἰσότητι καὶ ὡμοφύλων, quod amicitia alia sit equalium, alia inæqualium; quæ amicitia secundum excellentiam cognominatur. Et illa magis, hæc minus propriè est amicitia: utraq; proportionem quadam ad equalitatem reducenda.

53. In honestarum amicitiarum genere ea quæ est inter equales omnium est perfectissima ideog; constantissima, ad quam supra dicta maximè spectant. Adjucundas equales revocari potest Fraternalitas inter pocula contracta, quæ ut cito fit, cito quoq; perire solet. Et ut ipsa amicitia propter solam jucunditatem (extra virtutis respectum) contracta, vix se continet intra limites honestatis: ita talis fraternalitas, si inter pocula nascatur & contrahatur, sicuti quosdam ex prava consuetudine facere videmus, qui nulli, nisi quem in singulari sine respectu ullo advocant, poculum propinare possunt, honestè sentienti prorsus fugienda: ne si tali porro nimis sodalem se fecerit, postea tristis experiatur animi morsus. Mitius tamen judicari de fraternalitate, modo non nascatur inter pocula, et si inter ipsa honestè instituta confirmatur, inter eos, qui diuturnâ conversatione in honesto virtutum studio sibi innotuerunt, mutuoq; amore flagrare cœperunt. Utilis amicitia non ut cetera curat equalitatem, sed indifferenter à quovis utilitatem querit.

54. Hæc equalium amicitia æstimatur proportionem Arithmeticâ, ita ut amicus honestus æmuletur amicum officijs & beneficijs, eumq; subinde conetur superare quæ æmulatio est honestissima. Obscurior est aliquanto hæc compensatio in jucunda: obscurissima in utili vocata amicitia.

55. καὶ ὡμοφύλων dicta amicitia est inter inæquales superiores sc. & inferiores, praeceptores & discipulos, magistratus & subditos in honesta: in jucundâ & utili est insignior illa, qua magnates inferioris sortis homines colunt, de quâ monet Arist. 8. Nic. 6. Et hæc plerumq; est talis, qualem innuit Diogenes, ubi de Dionysii amicis interrogatus respondit: Magnates amicis inferioribus utuntur ut vasculis, quæ cum plena sunt evacuantur, sed evacuatâ abjiciuntur: quò pertinet Germanorum illud, quando dicunt, plebejū qui magnatus alicujus amicus esse velit, aut asinū aut stultū ipsius fore.

56. Et hæc inæqualium amicitia raro est ὁμοφύλων seu simplex, quæ

utring, propter idem objectum amabile colatur: sed plerumq, ἀνομοδόνς
 & mixta sive diverse speciei, ita ut à parte unius colatur propter virtutem,
 ab alterâ propter commodum; qualis frequens est inter Praeceptorem &
 Discipulum: vel ab altera parte propter jucunditatem alterâ propter uti-
 litatem, qualis musicâ delectati & citharædi &c. Ideò ut duret, diversitas
 ista finium compensanda officiis & beneficiis servatâ analogiâ, & propor-
 tione Geometricâ, ut dignitate, opibus, beneficiis &c. majores, majori ho-
 nore, obsequio, aliisq, officiis colantur &c.

57. Compensationis a. hujus estimatio sit aut à conferente benefici-
 um si paciscatur cum eo cui beneficium confert: aut ab accipiente si pactum
 non intercedat, cui mensura debet esse indigentia, ut post acceptionem in
 retribuendo beneficium non aestimet minoris, quàm ubi eo adhuc indigebat:
 quò facit Protagoræ exemplum, quod hic 9. Nic. 1. citatur, qui, cum docu-
 isset, jubebat eum, qui didicisset, estimare, quanto precio viderentur digna
 quæ sciret, & tantum accipiebat. Cum a. quedam sint, quæ nullâ mensurâ
 estimari aut compensari possint, ut sapientiæ communicatio, cujus ἀξία
 πρὸς χεῖματᾶ & μελέται, τιμῆ ἰσόρροπος ἢ ἀνὸ ἄλλοιο, dignitas num-
 mo non mensuratur, eiq, honor æquivalens reddi non potest: in talibus ἴ-
 σως ἰκανὸν, καθάπερ ἢ πρὸς θεόν, & πρὸς γονεῖς τὸ ἐνδεχόμενον fortas-
 se satis est, ut erga DEUM & parentes etiam, quod quisq, efficere potest.
 9. Nic. 1.

58. Deniq, attingenda est & hæc distinctio Amicitie, quod alia sit
 Φυσικὴ Naturalis, quæ vel συγγενικὴ, congenita, qualis inter patrem & fi-
 lium, fratrem & fratrem &c. vel cognatos & agnatos &c. vel γαμικὴ,
 inter Maritum & Uxorem, inter Affines &c. Alia ἑταίρικὴ socialis, quæ
 vel κοινωτικὴ commutativa, vel συμμαχικὴ, συσρατικὴ &c. 8. Nic.
 12. de quibus aliàs copiosius; ista nobis modo sufficiant.

Πάρεργα.

1. An Zigeni sive Zigari è Rep. benè constituta sint extirpandi?
2. An in civitate Judæi tolerandi?
3. Utrum fontes generentur ex vaporibus?
4. An ex siderum observatione certi quid pronunciare possint Astro-
 logi?
5. Cur tantopere rerum cognitione delectemur?
6. An felix indigeat amicis?
7. Utrum Electio magistratus per sortes approbetur in Republicâ?
8. An spurii in civitate ferendi?

Δόξα τῷ Θεῷ.

Philosoph
695

